



Disputatio juridica inauguralis de legatis

<https://hdl.handle.net/1874/347237>

24.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
LEGATIS.

QVAM,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in
Ecclesiâ Praeconis,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum disquisitioni subjecit,

HUBERTUS de GLADBEECQ, ROTERODAMUS.

A. D. 6. Julii, hora locoque solitis.

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc Lxxxix.

*Spectatissimis, colendissimis, maxime
Reverendis DOMINIS,*

D. GERARDO de BERCKEL,
Patruo suo affini, apud Roterodamos
mercatori solertissimo,

UT ET

D. PETRO POULLE,
Tutori suo dignissimo, Amstelodami
celeberrimo mercatori.

D. JOHANNI WEYMANS,
Contutori prudentissimo, Reip. Roterdamensis ex-Scabino, in eâque merca-
catori fidelissimo,

*Hasce Theses Inaugurales devo-
tissimo animo, ut par est,*

Dicat ac consecrat

HUBERTUS DE GLADBEECQ,

AUCTOR & RESP.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
LEGATIS.

THÈSIS I.



Egatum definitur, donatio quædam à defuncto relictæ, ab herede præstanda. Nomen habet, vel quod legis modo, sive imperativè relinquitur, vel à legendō, sive decerpendo, unde hereditatis delibatio dicitur.

Non propriè donatio est, quum hæc sine acceptione non consistat: tamen quædam donatio videtur, sive peculiaris naturæ est, habens hoc cum omni donatione commune, quod titulum merè lucrativum inducat, & à liberalitate profici-scatur.

II.

Relinquitur à defuncto, non ut fideicommissum, quod, mediante personā, ad fideicommissarium ve-nit, sed proximè, & immediate. Quondam legatum ex solo testamento valebat, post etiam codicil-lo, imò ab intestato constitit, modo à defuncto re-linquaretur. Verba, ab herede præstanda, quæ à

A 2 mul-

4 DISPUTATIO JURIDICA

multis non agnoscuntur, non videntur otiosa; indicant enim possessionem rei legatae ab herede petendam & praestandam esse: nemo enim sibi in rem jus dicit, nisi velit incidere in interdictum Quod legatorum *l. 1. §. 2. Quod legat.*

III.

Olim discrimin magnum longè latèque patens, inter legatum, & particulare fideicommissum; in illo enim rigor juris vim suam exerebat, in hoc favor voluntatis, & pinguis natura eluxit, *l. pen. de leg. 1.* Ac proinde legatum verborum cancellis inclusum, quæ idcirco legitima, vel civilia dicebantur, *l. 7. de Vulg. & Pup.*, quales formulæ sunt hæ: *Sumito, habeto, capito. Hæres dare damnas esto. Ille ex parte heres præcipito. Do lego.* Tunc quoque, legatum non relinqueretur, nisi testamento, aut codicillo per illud confirmato; neque ante heredis institutionem, neque post ejus mortem, neque à legatario aut fideicommissario: verba quoque strictè accepta, ac, si non essent ambigua, vix conjecturæ, aut quæstiones voluntatis admissæ, *l. 25. §. 1. de leg. 3.*

IV.

Et contrà, in fideicommisso parum intererat, quibus verbis relinqueretur, aut quo sermone, Græco, an latino: ac in ejus interpretatione voluntas magis examinata, quam verba, *l. 16. C. de fideic. l. 95. de leg. 3.* Poterat & ab intestato relinquī, imò ipso ntu,

INAUGURALIS.

tu, l. 21. d. Tit. quæ omnia, ut brevitati consula-
mus, hodiè secus se habent. Legata enim & fidei-
commissa per omnia sunt adæquata, l. 1. de leg. 1.
tam quoad res quam verba, l. 2. C. Comm. de leg. &
fid. Quoad res, absolutè quidem; quoad verba,
non ita, ut legatorum & fideicommissorum termini
non manferint diversi, nam de singulis diversæ sunt
Rubricæ, &, quæ relinquuntur verbis directis, ad-
huc legata, verbis obliquis fideicommissa vocamus,
§. ult. J. de fideic. sing. Verum, quod nihil referat,
quibus verbis testator utatur, directis & imperati-
vis, an obliquis & precativis, idem enim effectus est,
ac vis alterius alteri communicata. Eodem modo di-
versæ legatorum species, quarum singulis sui effe-
ctus erant, in unam naturam coahuere, ut de omni-
bus eædem actiones instituantur. §. 2. J. h. tit.

V.

Jam videndum, quænam res legari possint. In
genere fatendum est, omnia legari, quæ sunt in hu-
mano commercio, & quorum quis possit esse domi-
nus; Quumque sæpe dubium sit, quid ex mente te-
statoris eo nomine veniat, multæ qnæstiones sunt sub-
ortæ, quarum præcipuas hoc loco decidemus: Nem-
pe, Falsa demonstratio non obest, ubi de re legata
constet: Si erretur in specie, legatum nullum est.
Ubi usus fructus omnium bonorum legatur, sub eo
feudalia non habes, nec ea, de quibus testator non
potuit disponere: Dote legatâ, nuptiæ debent fe-
qui, alioquin legatum extinguitur; nisi in filiâ, cui
A. 3 dos.

6 DISPUTATIO JURIDICA

dos legata pro legitima est, & in heredem ejus transmissibilis.

V I.

Quin & supellectile legata, vasa aurea & argentea continentur, modo comparata fuerint ad usum quotidianum: Alimento legato, victus & amictus, habitatio, medicina, ipsa studia legata censentur, modo non obstat legatarii conditio. Ipsum debitum creditori recte legatur, modo plus sit in legato quam debito. Alienam res legari potest, si testator eam fuisse alienam sciverit: quo casu heredi onus incumbit, rem redimendi, vel estimationem praestandi: Verum conjunctis personis alienum legatum indistincte debetur, sive sciverit, sive ignoraverit testator, l. 10. C. deleg. Creditur enim proxima persona, legans aliquid, tam valde id velle praestari, ut quamvis res aliena sit, eadem voluntas maneat.

V II.

Ubi legatarius rei legatae dominus fit, antequam ab herede praestetur, multum refert, an ex causa onerosa an lucrativa dominium sit naestus; si enim ex lucrativa, nihil habet ex testamento quod petat, propter regulam, duas causas lucrativas in eundem hominem & candem rem concurrere non posse, l. 17 ff. de O. & A. l. 108. §. 4. de leg. 1. l. 66. § 1. de leg. 2. si autem ex onerosa, pretium quod ipsi abest, ab herede potest petere. Unde & hæc quæstio decisa, an is, cui duo-

duobus testamentis eadem res legata fuit, ex utroque testamento fructu legati sui possit gaudere: Ubi enim tam prudens fuerit, ut ex priori solam aestimationem consecutus sit, ex posteriori rem potest petere: si autem ex priori res fuerit tradita, frustra ex posteriori de pretio laborabit: valor enim inest rei, ut dimensio corpori, non res valori. *l. 88. ff. de. V.* Quæ ita debent accipi, si diversi testatores sint: ubi enim unus fuerit, non tam saepius legare, quam loqui videtur, *l. 66. §. 5. de leg. 2.* Aliud est, si quantitas pecuniae ab eodem in diversis scripturis bis legatur: quia numerorum corpora, licet idem sit numerus, diversissima sunt.

V I I I.

Si contingat, ut res tempore facti testamenti testatoris propria, ab eo ante mortem alienetur, magnum discrimen est, utrum hoc fecerit ex causa voluntariâ, an necessariâ; si ex illâ, non dubium est, animum adimendi legati adfuisse, *l. 18. de Adim. leg. l. 5. & 3. de pecul. leg.* quod eosque valet, ut si rem postea redemerit testator, legatum semel extinctum non reviviscat, nisi constet de novâ voluntate, *l. 15. de Adim. leg.* Excipi videtur libertatis legatum, *l. 58. de Manum. test.* Ubi vero causa sit necessaria, nempè rem in solutum det, ære alieno se liberet, premium adhuc recte petitur: nisi heres liquidò probet, mutatam fuisse voluntatem, *l. 11. §. 12. de leg. 3. v. g.* cum posset se expedire aliis rebus vendendis, nullas tamen potius quam res legatas distraxerit, ne gauderet legatarius.

I X.

Quid sit de jure accrescendi inter collegatarios ejusdem rei integræ : De conditionibus , quæ nondum impletæ legata suspendunt : De diebus , qui in legato puro à morte testatoris cedunt : De optione legata : De legatis aliquo casu deperditis : De re principali & accessoriâ : Similiter , quibus personis legari possit : Quomodo vel ipso jure , vel facto testatoris legata pereant : Quando ab iis portio Falcidia detrahitur , & similis farinæ quæstiones , in juris corpore dilucidè , multisque in locis tractatæ , hoc loco pro exercitio nostro possemus disceptare , nisi temporis angustia manum de tabulâ retraheret.

